



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In
Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

VIII. Fidei & rationis amicitia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](#)

OPTIMÆ CONSENTIENS. II

evehitur: nec DEVM tantùm uti bonorum auctorem, ita pœnæ calamitatisque omnis fontem, quod & isti fecere, agnoscit: sed omissâ de Sabæis Chaldæisque prædonibus, ac de tempestatum injuriis querimoniâ, in primo rerum omnium motore mentem defigit, gratiâsque agit: Dominus, inquit, dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.

VIII. Tanti Herois exemplo non pigebit interdum cogitationes ex *Fidei & rationis amicitia*. tura petitas ad miserorum solatium adducere: audiemus aliquando rationem, & philosophis non nostris modò, sed etiam alienigenis, ex ea disputationibus ac decernentibus, lubentes auscultabimus. Loquetur Seneca, adducetur Epictetus, proferentur magnanimè dicta factaque Infidelium Ethnicorum: nec Chrysostomi, Augustini, Gregorii eos socios indignabuntur, quibus nonnumquam & ipsi usi sunt. Imò non hos solum, sed & illos interdum, ad Scripturæ sacræ oracula, fideique pronuntiata elucidanda, adhibebiunus. Ab utrisque do-

A 6 cebimur,

12 BONA VOLUNTAS

cebimur, sustinenda æquanimiter adver-
sa, acquiescendum Deo in eventis om-
nibus, Providentiæ divinæ ductum ubi-
que intuendum: sed ex nostris solidius
lubentiusque discemus, non tantum ac-
cipienda de manu Dei quæcumque acci-
dunt, verùm agendas etiam gratias, con-
fitemurque illi, & cum beneficerit no-
bis, & cuin malè fecisse videbitur. Ve-
titum quidem olim Hebræis fuit dispara-
jumenta ad idem jugum trahere, bo-
vemque & asinum jungere in arando:
nec licuit lanæ linum in texendo vestien-
doque miscere. At non prohibitum est
ratiocinationem humanam diuinis Fidei
Christianæ documentis adjungere: mo-
dò subsequatur, ut famula; aut ad latus
incedat, ut officiosa comes; non præcur-
rit, ut inquieta ancillula; aut ex æquo
agere vel dominari appetat, ut insolens
socia.

IX. Refert Baronius ex Niceta an-
Laus Dei no 861. D. Ignatium Patriar-
in adversis. cham Constantinopolitanum,
religionis causa de folio & patria depul-
sum,